



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXLII. Continuatio eiusdem Argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

illius erat omnino certissimum. Hinc discite à contrario causam, cur nos homines, nec nos ipsos laudare debeamus, nec laudem appetere: quia nos ipsi (idem sentiendum est de ijs, qui nos laudant) secundum carnem iudicamus; & alia de nobis sunt iudicia DEI, alia nostra, vel hominum.

PUNCT. III. Circa verba prædicta, Scio, unde venio, & quò vado, à Christo prolata, considera & tu unde venias, & quò vadas. Nimirum memento, homo, quia pulvis es, & in pulverem revertèris: ex terra venis, & in terram redibis; sed quò interea Anima vadat, nescis. Confide tamen in verbis Christi, ita suos consolantis Joan. 14. v. 2. *Vado parare vobis locum. Et si abiéro, & præparaverò vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum Ego, & vos sitis. Et quò Ego vado, scitis, & viam scitis. Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Itaque hanc viam, Christum videlicet præeuntem, sequere: & sic eò vades, quò Christus.

MEDITATIO CCCXLII.

Continuatio eiusdem Argumenti.

Joan. 8.

PUNCTUM I. Dicit ergo iterum eis *JESVS*: *Ego vado* (scilicet ad Patrem meum) *& quæretis me* (id est, propter incredulitatem vestram quæretis vobis adhuc Messiam, qui tamen Ego ipse sum; adeoque meipsum adhuc quæretis, quia non cognovistis) *& in peccato vestro moriemini &c.* (Si nempe perseverabitis in peccato infidelitatis, morte æterna moriemini) *Et dice-*

bat eis : Vos de deorsum estis , Ego de supernis sum. Vos de Mundo hoc estis , Ego non sum de hoc Mundo. Dixi ergo vobis , quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non crederitis , quia Ego sum (id est , quia secundum Naturam meam Divinam necessario , & à me ipso existo) moriemini in peccato vestro. Joan. 8. v. 21. Observa , quæ sit causa , cur in neganda vero Messia fide Judæi fuerint tam obstinati. Eam his verbis Christus illis ipsis insinuat : quia , inquit , sicut de terra estis procreati , ita prorsus terrenis affectibus erga divitias , honores , & voluptates Mundi hujus estis dediti ; ideo de Salute vestra , & de necessaria in Christum Fide parum solliciti estis. Et quia Ego , sicut è Cælo descendi in Mundum , ita etiam de Cælo loquor , & de Existentia mea , quam habeo à Patre meo in Cælo , quò vos terrena sapientes animo vestro non pertingitis ; ideo in peccato vestro moriemini. Vide itaque , in quanto periculo mortis æternæ constituti sint omnes illi , qui simili modo , sicut Judæi , de Mundo hoc sunt. Cave ergo , ne etiam , postquam Mundum deseruisti , de Mundo hoc sis , animo illi adhærens , & tantum terrena sapiens.

PUNCT. II. Cùm exaltaveritis Filium hominis , tunc cognoscetis , quia Ego sum , & à meipso facio nihil : sed sicut docuit me Pater , hæc loquor. Joan. 8. v. 28. Hoc impletum est , quando Christus fuit in Cruce exaltatus : tunc enim inquit Matthæus c. 27. v. 54. Centurio , & qui cum eo erant , viso terræ motu , & his , quæ fiebant , timuerunt valde , dicentes : Verè Filius DEI erat iste. Adverte , quòd Christus ignominiosam Crucifixionem suam vocet Exaltationem : quia ignominia , confusio , contemptus in hoc Mundo est vera Exaltatio apud DEVM ; quanto

quantò enim hîc quis plùs humiliatur, tantò in Cælo magis exaltatur. Expende etiam, quòd, licet Judæis ante Exaltationem Christi in Cruce plurimis maximis Miraculis comprobatum fuerit, ipsum esse Filium DEI, tamen primùm credituros prævidens & prædixit: *Cùm exaltaveritis Filium hominis.* Propterea enim, quæ in Crucifixione contigerunt, virtutem suam movendi ad Fidem acceperunt à Fortitudine Constantiâ, Generositate, Dilectione inimicorum, quando pro Crucifigentibus se orabat, & à plena fide in manus Cælestis Patris Traditione. Quando enim clamans voce magna *JESVS* ait: *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.* Luc. 23. v. 46. Tunc (ut Marcus c. 15. v. 39. testatur) *Videns Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic Filius DEI erat.* Sic Filium DEI Adoptivum te ostendes, quando Christo confixus fueris Cruci; ut loquitur Apostolus Galat. 2. v. 19. & cum infracta animi Fortitudine, Constantiâ, Resignatione in paternam DEI manus, omnia sustinueris. Sic etiam præclaræ facta & dicta tua ad aliorum conversionem, & vitæ emendationem valebunt, si Virtus tua ad verforum perpeffione fuerit probata.

PUNCT. III. *Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Joan. 8. v. 29. Licet enim Christus fuerit missus à Patre, dum iste ab æterno genitum cum Humana Natura conjunxit, & in terra illum degere voluit; manet tamen per eandem Naturam Divinam Filio suo conjunctissimus Pater. Quam conjunctionem Christus hîc probat Judæis per summam Voluntatum conjunctionem, vi cujus etiam, ut homo, inquit: *Quæ placita*

placita sunt ei, facio semper. Hæc si similiter semper feceris, te rursus Filium DEI Adoptivum, & obsequentissimum demonstrabis; ac vicissim Patris Cælestis continuam Assistentiam experieris, ut in omni actione, & functione tecum sit, & non relinquat te solum.

MEDITATIO CCCXLIII.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Joan. 8.

PUNCTUM I. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si Veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Joan. 8. v. 46. Ut Judæi Christo, asserenti se Filium Dei, Fidem darent, Veracitatem suam illis probavit Vitæ suæ Innocentiâ, quâ omne peccatum, adeoque etiam Mendacium semper aversatus est: probata autem Veracitate exprobrat illis obstinatum in præbenda sibi Fide animum. O si & tu ita innocenter inter homines viveres, ut nemo te posset peccati arguere! si autem peccas, vis scire, quis te arguat? Arguet te DEVS. Ideo inquit Pl. 49. v. 21. *Existimasti iniquè, quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Arguet te etiam propria Conscientia. Arguet te Angelus Custos, & Dæmon accusans. Arguent te omnes, qui te observant. Nam, ut admonet Thomas Kempensis l. 1. c. 25. n. 5. Sicut oculus tuus alios considerat, sic iterum ab alijs notaris. Itaque sic omnem Christianam & Religiosam Disciplinam observa, ut securus in Conscientia tua dicere audeas, præsertim in articulo Mortis: *Quis arguet me de peccato? Nihilominus*